Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8166
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

6

quam quærerem, certam religionem inuenissem:
imò quòd in animo meo iam antea certa religione
uacuo, christi tamen adhuc fide signato, hoc
ipsum quoq; signaculum nonnihil labefactatum
esset, neq; ibi, neq; alibi apud Euangelicos
consistere me posse sensi.

Tantum igitur abest, vt post meum à nobis abitum,
ueram aliquam religionem, veramq; animi
pacem et tranquillitatem inuenerim; vt propè ipsam
etiam animam, cum tota ferè (proh dolor) christi-
ana fide perdiderim. Summa enim ui spiritualiũ
tempestatum, et maximarum concursu tentationũ
ex tutissimo, tranquillissimo, placidissimoq; Socie-
tatis IESV portu in altum mundi huiq; mare
abreptq, firmàq; mentis anchora, & solito uera
Ecclesiæ gubernaculo priuatq, incerto & errabũdo
animi cursu in immensum vagabar: fractaq; tandem
ad crassissima Lutheranorũ saxa, & latentes
Caluinistarum scopulos mea fidei christianæ nauicula,
errorum profunditate magis semp, magisq; de-
mergebar. Verum enimuero in hoc tanto meo
circa fidem naufragio, intimis tamẽ religionis
stimulis mẽs mea concitata, hanc demum
quasi tabulam à Paulo Florenio sibi extortam,
iterum arripere, nec omnino perire, coacta